



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Horreum Treverense, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

non admodum profuit. De quo plura in Episcopatibus nostris. Habuit fororem Agnetem, Abbatissam Seckhingensem.

26. *Marquardus*, Baro à Grunenberg, successit *Henrico* anno 1356. Præfuit annis 20. Acquisivit Richenburgum cum adiacente territorio. Obiit anno 1376.

27. *Nicolaus*, Baro à Guntenberg, Hercynius, eligitur anno Domini 1376. evocatus ex Augia divite, de quo nihil amplius in annales relatum legitur.

28. *Petrus*, Baro à Waldhufen, ob vitæ bonitatem *Pater Patrum* vulgo cognominatus, successit *Nicolas*, sed quo tempore, aut quamdiu præfuerit, ignoratur. Habuit fororem *Wandelburgin*, Abbatissam Tigurinam. De hujus Abbatis *Petri* in gubernatione Einsidelenfis monasterii successoribus nihil amplius certi invenio ad annum usq; Christi 1509. quo totum monasterium calamitosissimo incendio periit sub Abbate *Conrado*, nobili viro de *Rechburg*, decrepito sene, cui additus est quasi coadjutor & vicetenens, Dominus *Theobaldus à Geroltzegko*, qui annum Christi circiter 1524. compositiones quærens cum *Cinglianis*, factus idcirco suis invisus cessit. Post obitum vero Abbatis *Conradi* designatus est in ejus locum *Ludovicus Blauererus*, Constantiensis, conventualis Sangallensis, qui obiit anno Domini 1544.

Tantum de Einsidelenfi cenobio. Plura enim consequi hætenus nequii.



HORREUM Treverense, ex *Dagoberti Galliarum Regis* palatio seu horreo potius, in quo à trituratoribus regiæ aulæ frumenta exenti solebant, unde loco nomen contigit, monasterium factum olim Canonissarum, hoc est, liberarum & ab omni voto immunium Dominarum amplissimum collegium, hodie vero sororum instituti *Benedictini* præpotens monasterium, (quod *S. Matthiæ Treverensi Abbati* subest) in honorem *B. Virginis* matris temporibus *Modowaldi*, *Trevirorum Archiepiscopi*, fundatum est anno Domini 606. locupletatum vero anno Domini 645. à *Dagoberti Galliarum Regis* ex *Mathilde* filia, Domi-

Chronologia

Chronologia
monasterio
S. M.

D. Irmina. Domina Irmina, Deo dilecta, Hermanno Comiti cuidam Gallicano desponsata, qui citius è vivis excessisse legitur, quam conjuges coissent, vel ante diem nuptiis & maritali conjunctioni destinatum. Ejus loci Abbatissarum ac gubernatricum talis extat Treveri catalogus.

Abbatissarum Catalogus. 1. *S. Irmina*, Dagoberti filia, fundatrix & gubernatrix prima coenobii sui centumq; monialium laudabilis Abbatissa, in Wiffemburgensi templo (cujus fundator fuit Dagobertus pater) obiit, & regio Mausoleo ibi deposita & terræ parenti reddita est: sed quo anno, id incertum est.

Mons Romarius. 2. *S. Modesta*, S. Willibrordi Archiepiscopi Ultrajectini soror, & S. Modowaldi, Trevirorum Episcopi, è sorore neptis, alumna prius Montis Romarici monialium antiquissimi coenobii, B. Gertrudis familiaris focia, successit ad aliam patriam evocata ex hac lachrymarum valle Dominae Irminæ: sed quamdiu præfuerit, non invenio. Sequuntur aliarum Abbatissarum tantum nuda nomina. Amplius enim quicquam de ipsis nihil in fastos relatum invenitur.

- | | |
|-------------------------|----------------------------|
| 3. <i>S. Julia.</i> | 12. <i>Beda.</i> |
| 4. <i>S. Helya.</i> | 13. <i>Maria</i> Magistra. |
| 5. <i>S. Anastasia.</i> | 14. <i>Imysa.</i> |
| 6. <i>S. Basilia.</i> | 15. <i>Helowisa.</i> |
| 7. <i>S. Lucia.</i> | 16. <i>Hadewidis.</i> |
| 8. <i>S. Rotbildis.</i> | 17. <i>Imysa</i> secunda. |
| 9. <i>S. Severa.</i> | 18. <i>Hedewidis.</i> |
| 10. <i>Deda.</i> | 19. <i>Helwigis.</i> |
| 11. <i>Ida.</i> | 20. <i>Gertrudis.</i> |

21. *Hadelwigis*, Magistra dicta, eò quod aliquoties, relicta regula Benedictina, Canonissæ regulares factæ fuissent hujus loci moniales.

- | | |
|---------------------------------|------------------------------------|
| 22. <i>Walderadis.</i> | 27. <i>Geisa.</i> |
| 23. <i>Waltrada.</i> | 28. <i>Hedowigis.</i> |
| 24. <i>Margareta.</i> | 29. <i>Leutschwindis</i> Magistra. |
| 25. <i>Adelheidis</i> Magistra. | 30. <i>Irmentrudis.</i> |
| 26. <i>Pia.</i> | |

31. *Offi-*

- | | |
|--|--|
| 31. <i>Offimia</i> vel <i>Euphemia</i> Magistra. | 39. <i>Sophia</i> Magistra. |
| 32. <i>Dideradis</i> . | 40. <i>Adelheidis</i> . |
| 33. <i>Luitgardis</i> . | 41. <i>Randolpha</i> . |
| 34. <i>Adelheidis</i> Magistra. | 42. <i>Agnes</i> Magistra. |
| 35. <i>Irmentrudis</i> . | 43. <i>Sophia</i> secunda. |
| 36. <i>Margareta</i> Magistra. | 44. <i>Adelheidis</i> . |
| 37. <i>Serva</i> . | 45. <i>Elisabeta</i> de <i>Heifels</i> Ma- |
| 38. <i>Richarda</i> . | gistra. |

46. *Irmengardis* de *Gimnich* Magistra, obiit anno Domini 1402.

47. *Irmengardis* de *Kerpena* Magistra præfuit 30. annis & obiit anno Domini 1432.

48. *Irmengardis* de *Kerpena*, & ipsa Magistra, præfuit 4. annis & obiit anno 1436.

49. *Catharina*, generosa *Rheni* Comitissa, magistra valde devota, præfuit annis 38. Obiit anno 1474.

50. *Joanna*, nobilis *Domina* de *Bassa Petra*, vulgo *Bettstein*, successit *Dominæ Catharinæ*. Præfuit annis 35. Decessit ex hac mortali ad immortalē vitam 13. Aprilis anno Christi 1509. Reformationis juxta *D. Benedicti* regulam subsidiis *Joannis*, *Archiepiscopi Treverensis*, primæ reductrix 17. Novembrium anni nato Christo 1495. & *Abbatissa* laudabilis.

51. *Anna*, de *Helmstadt*, *Dominæ Joannæ* succedens, præfuit annis octo & aliquot mensibus. Obiit in vigilia nativitatē *Mariæ* anno *Gratiæ* 1517. in choro cum aliis *Abbatissis* honorifice sepulta.

52. *Domina Francisca Waldeckerina* eligitur año Christi 1517. Præfuit monialibus suis numero quadraginta hoc currente ad huc *Jubilæo*, humanissima *Domina* nobilissimisque moribus prædita.



Mm

ISNEN-